Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gerneri Rolfincii ... Ad Chimiam In Artis Formam Redactam Illustrandam Breves Notae

Rolfinck, Werner

Jenae, 1669

Liber IV

urn:nbn:de:bsz:31-132593

Visual Library

docet *Helmontius tractatu tria principia chimica inscripto, textu 49*, ventilatione dignum.

herbarum, RUTAE ℞ liberalius prodit, semine cum folliculis tusis addito.

florum chamameli, *Olei florum chamameli* saphirinus color promovetur additione scobis lignorum pini & abietis, cum floribus facto S.S.S. vel adjecto ol. terebinthinæ. Sed undè color ille tam fugax, ita ut aliquot septimanarum spatio pereat?

rosarum, ROSARUM ℞um ex solis floribus parcâ, ex toto, floribus, medio luteo, αὔθος ῥόδων quod dicitur, unguiculis, calyce, alabastris, qui *sunt quini fratres in eodem tempore nati,*

tres sunt barbati, duo sunt barbâ absque creati,
unus de quinis non est barbatus ubivis,

liberaliori manu communicatur oleum.

violarum, Ex VIOLARUM martialium purpurearum floribus oleum præparatum vidit *Rosenbergius in rhodologiâ.* Assumi potest integer flos, quem constituunt 1. τὸ πορφυρίζον τοῦ ἄνθους, *quod in flore purpurascit,* & flos simpliciter dicitur. 2. quinque florum folia cum purpureo apice succo subdulci pleno, & unguiculis. 3. τὸ λάνθος alter flos luteus his insidens. 4. alabastriculi virides quinque superpondii loco retineri possunt. Ex flore simpliciter dicto difficilis præparatio.

caryophyllorum, OLEUM caryophyllorum adulterinum tale Italus parabat: ℞. *caryophyllorum tritorum q. v.* ℞ *olivarum optimi q. s.* Digere. Exprime fortiter. Per inclinationem oleum separa. Adserva. Nonnulli pro vero oleo habuêrunt.

In Indiâ ex recentibus expressum insignis est virtutis.

Destillatum ex siccis in nostro solo, aqueo colore prodit, cum tempore eundem mutat.

Olivoπύγμα. VINI OLEUM; ☿ communiter appellatum, mistum cum spiritu ☉li dicitur aqua temperata: à salinis, ut cineribus exstillatus, dicitur ALCOOL.

LIBER IV,

de effectis & operibus chimicis mediis

mediis, quæ ambigunt inter liquida & ſolida, eſſentiis ſeu tincturis mollibus &c.

TINCTURAE nomen amabile, ſed non omnium admittit amplexus. Umbræ ſunt colorum, non virtutum. Nubes ſe venditant pro Junone. *Tinctura.*

Vegetabilium eſſentiæ menſtruis aqueis fieri poſſunt, commodiſſimè oleoſo, id eſt, ſpiritu vini. *Eſſentia.*

Eſſentia, ſanguis ſeu ANIMA RIWAND TZINI medicamentum eſt multi uſus. *rabed tzini.*

MUMIA AEGYPTIACA ſuſpectæ eſt fidei, quantumvis odorem aromatum habeat. Vendaces Ægyptii aromatum appoſitione odorem, cùm exoptetur, ceu κρεμμύριον genuinum, doloſè conſervant. Interim conditura ipſa eſt aſphaltiaca. Cadaver ipſum morboſâ tabe conſumtum & humido radicali ſpoliatum. A noſtris cadaveribus violentâ morte peremtis nihil timendum. *Mumia.*

AMBRAE ESSENTIA & MOSCHI paratur 1. utplurimum conjunctim. 2. cum ſaccharo. 3. ſine ſaccharo. 4. ex integrâ ſine trituratione, vel contusâ parum, præcipuè cum extemporanea opera eſt præſtanda. 5. Proportionis ingredientium hæc poteſt eſſe regula: *ambræ griſeæ* ʒſ, *moſchi Alexandrini* ℈j, *liquoris* ℥iiij. 6. Solvens liquor non gaudet unitate, ſed varius eſt. *ambra.*

Generale confortans eſt ambra. *In generali neceſſitate* univerſalis menſtrui ſuſtinere poteſt vicem ☿ alcoolisatus.

Dirigentibus ad *certas deſtinatur* partes.

In *cerebri adfectibus* in genere.

℞. *ambræ griſeæ* ʒß, *moſchi alexandrini* ℈j, *ſpiritus liliorum convall.* ℥iiij.

In *cephalalgiâ* adfundatur ſpiritus roſarum.

In *vertigine* ſpiritus florum tiliæ.

In *apoplexiâ* ſpiritus rorismarini.

In *paralyſi* eſſentia chamædryos.

In *epilepſiâ* ſpiritus ceraſorum nigrorum.

In *melancholiâ & maniâ* essentia anagallidis fl. phœniceo.
In *memoriæ debilitate* spiritus salviæ.
In *oculorum adfectibus* spiritus euphrasiæ.
In *cordis anxietatibus* elixir vitæ Matthioli.
In *ventriculi intemperie frigidâ* elixir proprietatis.
In *colicâ flatuosâ* spiritus fœniculi.
In *uteri morbis* spiritus artemisiæ.
In *luctâ ♀eâ succumbentibus* spiritus satyrii vel magnanimitatis.
In *sterilitate muliebri* spiritus melissæ.

7. Non opus est digestione longâ, vel adservatione in fimo equino, aut sigillatione Hermeticâ. Sufficit si vasculum benè obturetur.

☉, ☽, ESSENTIAE & tincturæ ☉ & ☽, hactenus notæ parum habent in recessu. Quæ à quibusdam circumferuntur, aucupia sunt crumenarum, non solamina miseriarum.

♂, ESSENTIA ♂ cum succo pomorum redolentium vel etiam ☉lo ♂ parata egregia est.

Tinctura antiphthisica, TINCTURA ex ingredientibus non coloratis, minio ♃ soluto, ☉lo ♂tis spiritu ☉li soluto, & spiritu vini invicem permistis rubeola prodiens ANTIPHTHISICAE titulum defendere potest in phthisi ἐν χέσει, quæ dependet à sputo sanguinis, & catarrhis tenuioribus salsis. Roborat etiam pulmones constringendo poros.

♄, ESSENTIA ♄ *Penoti de medicamentis chimicis* paratur ex ♄*ii pulverisati parte* j. *olei terebinthinæ part.* iiij, digestis secundo ignis gradu vel coctis, donec rubrum acquirat colorem. Id fit brevi temporis spatio. Effunde menstruum tinctum, & novum affunde. Tandem conjuncta menstrua evoca leni igne. Quod remanet in fundo, ad vulnera, ulcera, destillationes frigidas in artus utile est exterius usurpatum. Interius ad guttas x. colicæ, podagræ & morbo gallico medetur.

Balsama, BALSAMA, ELAEOSACCHARA simplicia & composita magni sunt nominis & multi usus.

Elæosaccharum, COCHLEARIAE compositum elæosaccharum genuinum procedit ex succo cochleariæ. Succus constituit corpus, oleum est anima: spiritus animam maritans corpori est saccharum multo-

multorum ben eficiorum autor. Loco succi cochleariæ qui succum *spinæ cervinæ* seu *rhamni solutivi* aut *fol. tritici* noviter emergentium & rore madentium adsumunt, adulterinum venantur colorem & resolubilitatem. Non tamen propterea floccipendendum est medicamentum. Vis mundificandi in utroque, & evacuandi in rhamni succo facit officium. Præterea confert ad gratiam. Dissolvitur totum, & à vehiculo, cum quo adsumitur, absorbetur, & per minima conjungitur.

GELATINAE recenter paratæ, albicantes, pellucidæ, cordialem virtutem habent. *Gelatinæ.*

ESSENTIA LAPIDIS NEPHRITICI fit commodè, si minutissimè pulverisato affundatur spiritus ⊖, & digeratur. Decantato primo, novus additur, &c. *Nephritici lapidis essentia.*

LIBER V,
de effectis & operibus chimicis solidis.

SAlia alkalia cardui benedicti, fraxini, juniperi ex cineribus arte chimicâ parata non sunt actu in plantis, sed fiunt per generationem primi modi Aristotelicam ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο, ὀκ μὴ ὄντος εἰς ὄν, ὀκ προυπαρχόντος δυνάμει ὄντος εἰς ἐνεργείᾳ ὄν, *ex alio in aliud, ex non ente in ens, ex præexistente potentiali ente in actu ens.* Entitas illa salium potentialis notat aptitudinem, quâ possunt fieri salia actu, simulque indicat privationem, nempe nondum esse adquisitam hanc salium essentiam sive actum, sed esse adhuc acquirendum. Actualia salia fiunt demum, ὅταν ἔχῃ τὸ ἐντελὲς ἢ ἐντελέχειαν, *cum habitum & salinæ perfectionis possessionem jam acquisiverunt.* Entitas potentialis formæ salis est eadem cum materiâ secundâ, quæ includit δύναμιν *potentiam*, ex quâ forma salium producitur. Quamvis forma harum plantarum pereat in calcinatione, non tamen omnium virium possessio evanescit. Σώζεται servatur aliquid de viribus. Ita sal cardui benedicti diaphoreticam vim habere quis dubitat? *Salia alkalia.*

Salia alkalia fixa habent proprietatem saponariam & lixiviosam, resolventem, quâ mundant intestina, sordes & scorias in